

Zc
6023





Z c
6023

ORATIO
VIRI REVERENDI, CLARISSIMI,
MI, DOCTISSIMI,
Dn.
BALTHASARIS
MEISNERI
THEOLOGI ET PHILOSOPHI
INCOMPARABILIS

MEMORIAE

habita V Vittebergæ,
a. d. XX. Februarij, anno Christiano
M DC XXVII.

à
M. ERASMO SCHMIDT
Græc. & Mathem. Prof. P.

WITTEBERGÆ,
Sumptibus CASPARI HEYDEN Bibliop.
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH.

634

ORATIO
VIRI REVERENDI CLARISSI
M. DOCTISSIMI
DR.
BALTHEASARIS
MEISSNERI
THEOLOGICI ET PHILOSOPHI
INCOMPARABILIS



M. ERASMUS SCHMIDT
Grec. Prof. P.



Sumptibus CASPARI HEYDUN Bibliop.
Typis Heredum SALOMONIS AUBRACHI.

Pou Zc 6023 QK





I cum vestris mea vota va-
 luissent, Prorector Magnifice,
 Electoratus Saxonici Mareschal-
 le Hæreditarie Nobilissime, Stre-
 nuissime, Viri omnium ordinum
 Reverendi, Consultissimi, Clarif-
 simi, Doctissimi, Prudentissimi,
 Humanissimi, Honoratissimi, vosqve Studiosorum
 Nobilissimorum ac Lectissimorum Concio, Si in-
 quam, cum vestris mea valuisse vota; non esset nunc
 actus hic pullus institutus; non esset etiam, ut MEIS-
 NERUM, (heu MEISNERUM) nimium prope-
 rantibus fatis ereptum, publice privatimqve lugere-
 mus; nec Mater Filium unicum; nec Vidua Maritum
 dilectissimum; nec Liberi Patrem amatissimum; nec
 nos Collegam Optimum; nec Academia tota Caput
 honoratissimum; nec studiosa Juventus Præcepto-
 rem fidelissimum; nec hæc ipsa Cathedra Doctorem
 solertissimum; nec Tempa Ecclesiasten facundissi-
 mum; imò nec tota Ecclesia Dei columnam firmissi-
 mam subrutam subreptamqve desideraret.

Verùm quum id quod factum dolemus, fecerit il-
 le, in cuius manibus sunt omnes omnium hominum
 fortes, quiqve res humanas, pariter atqve mundanas
 cæteras omnes arbitrio sapientissimo moderatur, &

quando quomodoque vult, hos nasci, illos denasci pro sua *εὐχρεία & εὐδοκία* jubet: quid aliud nobis faciendum putamus, quam ut patienti animo voluntati eius quam semper optimam esse scimus, subscribamus, & quod mutare minimè possumus, æquius feramus? Nos lutum sumus; Ille Figulus noster: Nos opus manuum ipsius; Ille Opifex noster. Qvis in rectum exporrigere queat, quod Ille incurvavit? Qvis eius consilia scrutari valeat? Qvis sic, aut alia ratione agentem, in iudicium vocare audeat? Patientia hic opus est; & voluntas nostra, quæ in agnitione & electione Bonorum, per humanam imbecillitatem sæpè hallucinatur, Divinæ, quæ ultrà quam nos intelligimus, sapit, humillimè subjicienda. Interea verò, nec defunctos moderatè lugere; nec memoriam eorum grato animo recolere, & si fieri possit, immortalem facere, cuiquam pio interdictum. Qvin imò, ut prius humanæ affectioni concessum; ita alterum spei de Animarum superstitie vita conforme: utrumque à Siracide mandatum, & multorum Sanctorum Veteris & Novi Testamenti exemplis comprobatum. Luctum quum tempore Sepulturæ publicè testatum fecerimus, & adhuc faciamus: nunc Memoria Meiserianæ recolendæ, & cum memoria Beati LUTHERI, quæ nudiustertius nobis renovata est, quum eius Discipulus *ἡσίο* fuerit, conjungendæ, dies hic est præstiturus.

Quibus autem ex defunctis, memoria eiusmodi Parentalis debeat, Siracides cap. 44 nos docet; nempe

non

non iis, qui ita in hoc mundo vixerunt, ut nullum præclarè factorum vestigium reliquerint, vitamque omnem vel otio, vel luxu, vel malitia, vel silentio transegerunt veluti pecora; quiqve ita ex hoc mundo excefferunt, quasi nunquam in eo fuissent; imò quos sæpè nunquam mundum ingressos fuisse optandum esset, & quorum vita morsqve juxta æstimanda venit: Sed Sanctis hominibus, quorum Justitia oblivionem omnem superat; per quos multa præclara DEUS potentiâ suâ operatus est; quiqve ita vixerunt, ut dum viverent, laudibus non satis maclari potuerint; & ubi naturæ debitum exolverint, famam nunquam interituram, nominisqve celebritatem perpetuam, desideriumqve sui, post se reliquerunt: Sive in Ecclesiastico statu, ex præscripto verbi divini, totas terras societasqve hominum, consiliis, doctrinis & prophetiis instruxerint; sive in Politico, virtute sua heroica Imperiis salutariter profuerint; sive Musicam, ut Siracides loquitur, didicerint, h. e. multiplici liberali eruditione Ecclesiæ & Reipubl. utiliter inservierint.

In horum censu quum Is, cuius causa nunc Panegyris hæc est instituta, Beatus videlicet noster D. BALTHASAR MEISNERUS, Lutheri discipulus fidelissimus, omnium, nisi quorum fortè pectora livor infecit, unanimi consensu sit habendus; non præter rem facturi sumus, si Beati Lutheri memoriam, sub MEISNERI nomine recolamus, eiqve rei hanc horam, & si quid fortè excurrit, consecremus, ut dona DEI præclara ei concessa, publicè agnoscamus & præ-

dicemus; & ex recta eorum usurpatione, quam Beatus noster notoriam fecit, Eum Servum Christi fidelem & bonum ostendamus; ipsiusque exemplo, ad simile Pietatis & omnigenæ virtutis studium indefessum Juventutem excitemus.

Nemo verò putet, obsecro, me temerè, aut delirante aliqua affectatione, nunc in augustum hunc locum, & in tam venerabilem confessum prodiisse, aut has mihi dicendi partes sumpsisse: à quibus immunis esse optarim; quum non tam ad inveniendam, (quandoquidem sese ultrò copiosissimè offert,) dicendi materiam, quam ad ipsam orationem, & hoc loco, & hac cathedra, quæ adhucdum piè defuncti MEISNERI Eloquentia, penè dixerim Paulina, tantum non calet, & in primis auribus vestris politissimis dignè exorandam, me imparatissimum libens agnoscam; & hasce operas ferè desvetas, humeris meis impares profitear; meque in hac palæstra rude potius donandum, quam post diuturnam intermissionem, in arenam quasi de novo protrahendum existimem. Adde quòd ego qui annos eius propemodū semisse supero, potius ab Ipso vel alio quodam Collega, si dignus haberer, hoc officium meis Manibus expectassem, quam MEISNERO, me multum juniori, à me præstandum putassem. Voluntati nimirum & rogatui cum honestissimæ Viduæ, tum Reverendi Dn. Superintendentis *D. Friderici Baldvini*, Affinis eius conjunctissimi, Collegæ & Compatri mei honorandi, obtemperavi, & ad desvetam hanc operam me vel invitum re-

vocari

5
639.
vocari passus fui. Itaque ut ab omni temeraria au-
dacisve arrogantia suspicione me benevolè libereris,
humaniter rogo.

Postquam autem hoc officium meis humeris im-
poni permisi; statim cogitavi, quanam ratione M E I S-
N E R U S noster pro merito laudari posset. Reque al-
tius pensâ; pro Defuncti dignitate, vix à Demosthe-
ne aut Pericle aliquo, qui omnem totius vitæ operam,
Eloquentiæ studio unicè impendit, nedum à me, cui
aliis studiis & negotiis districto, Musis hisce politiori-
bus rarò aliquid litare licet, verba fieri posse depre-
hendi. Qui enim tot felicis naturæ dotibus divinitus
instructus, tot tantaque virtutis specimina toti orbi
Christiano exhibuit; an non iseam virtutis suæ me-
moriam reliquit, quam nulla ullius dicendi vis adæ-
quare, nedum superare queat? Itaque à dicendo po-
tius abstinere mihi planè imperassem, quàm quod ex
voto assequi me non valere prævideo, tentassem; nisi
& erga Collegam Optimum Pietas, & honestissimæ
Vidua, aliorumque Propinquorum Voluntas, cui re-
fragari mihi religio fuit, me movisset. Secus si fuisset;
nec Vobis, Auditores, negotium conveniendi faceffe-
re, nec me insolentiore opera fatigare voluissem.

Necessarium autem existimo, ut, quoniam
nunc Pietatis potius quàm Ostentationis; Querelæ,
quàm Eloquentiæ; Doloris, quàm Ingenii partes in
me suscepi, antequam huius Viri laudes percen-
seam, aliquid orationi interponam, & à vobis
omnium ordinum Auditores, qui piè Defuncti nostri

vobis
&

& eius honoris, gratæq; memoriæ causa convenistis, & vel hoc quoque nomine, Vestrum erga Defunctum eiusq; relictos affectum pium abundè declarastis, [pro qua Pietate Vestra, ut & honorifica ad hunc Actum præsentia, Vidua & Propinqui mecum gratias agunt humanissimas] audiendi favorem atq; benevolentiam expetam.

Nam si id muneris mihi imponi potuisset, ut tanti Viri Sepulturam, vel monumenti alicuius magnificentia, vel, qui Priscorum olim mos fuit, aliquo sive Dramatico, sive Equestri aut Cutruli, sive Gymnico spectaculo adornarem: Equidem, quò studiosius, & impensius, & magnificentius illud instruxissem; eò magis officio functus videri potuissem. Verùm quum hæc mihi partes, quas nunc peractum accessi, attributæ fuerint, ut hunc Virum, (at quantum?) verbis non dicam ornem, quum ornatum eiusmodi omnem superet; sed Ornatissimum, Vobis spectandum exhibeam: Certè, nisi Vestra, Auditores, studia mihi suffragentur; vereor, ne, quò maiorem adhibero diligentiam; eò minus id quod mihi propositum est, & à me expectatur, consequar. Etenim quum cætera, ferè omnia, ut sunt Divitiæ, Forma, Sanitas, Fortitudo, Prudentia, Doctrina, & quæ sunt eius generis alia, suis Possessoribus sufficientes fructus superpeditent, neque alienis adminiculis egeant, se ipsa per se ipsa abundè excellant in ijs quibus adsunt, velint nolint alii: Solum dicendi officium, id gratum sit, Audientium studia atq; favores desiderat; hisq;

adju-

adjutum, quantumvis fortè mediocri nitore res illustret, non gratiam modò, sed & gloriam Dicenti conciliat: Sin iis destituitur; quanta quanta fuerit adhibita diligentia; fastidium potiùs Auditoribus parit; tantum abest, ut efficiat, quò Dicens suis partibus perfunctus habeatur.

Hanc ob causam, Vos omnium ordinum Auditores honoratissimos, reverenter, officiosè, & amicè rogo, ut Vestro favore meam in dicendo imbecillitatem roboretis; &, si fortè ultra solitum spacium sermo excursurus est, non propterea mihi, quem prolixitatis otiosæ osorem, puto, scitis, succenseatis; sed extremo Beati nostri MEISNERI honori hoc benevolè detis, & penè innumeræ rerum dicendarum multitudini, (quarum tamen multas præteriri necesse erit) patienter imputetis; omniaque vicissim humanitatis atque benevolentia grata officia à me, cum primis verò à Beati MEISNERI nostri Hæredibus & Propinquis certò expectetis.

BALTHASAREM MEISNERUM, Sacrosanctæ Theologiæ & Philosophiæ Doctorem atque Professore, & huius Academiae Wittebergen-
sis Magnificum Rectorem, nuper (proh dolor) defunctum Parentali honore affecturo, in mentem venit illud Græciæ Sophistarum, seu Rhetoricam in Græcia docentium præceptum logodædalum, quod Isocrates contra Antagonistam Polycratem urget:

Δεῖ τὰς εὐλογεῖν πινὰς βελουδύρας πλείω τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν αὐτοῖς τὰ προσόντα ἀποφαίνειν. Quod, si Latinis

B

verbis

verbis efferas, hoc vult: *Laudaturus aliquem, ea quæ in ipso laudanda sunt, plura & maiora facere oratione debet, quàm revera sunt.* Improbum profectò præceptum, & è Scholis Oratorum planè exterminandum: quo neque uti volo, neque opus nunc habeo. *Nolo uti, quòd à Justitia, quæ suum cuique tribuit, ex asse alienum sit, & Veritati directè repugnet, adeoq; discrimen inter Bonos & Malos tollat; & hac ratione, non minùs Improbus, quàm Vir spectatæ probitatis, laudari possit; & præclara facinora etiam ignavissimo & improbissimo cuivis, Logodædalus aliquis affingere, & Therfiten, forma, opere bellico, & sermone ἀξιῶν, Nireo pulcherrimo; Achilli fortissimo; Ulyssi facundissimo: aut Busiridem illaudatum, Socrati Apollinæ sapientiæ æmulo facilè anteferre valeat. Opus eodem non habeo, quandoquidem Virtutis ita egenus non fuit MEISNERUS noster, ut per commenta laudibus eius cumulum aliquem quærere sit necesse. Quin potius tantus sese laudum Meisnerianarum aperit campus, ut quî totus ille tam exiguo tempore percurri queat, non videam: tanta seges earum sese offert, ut messem eius quàm conficiam, *antè diem clauso Vesper componat Olympo:* & plura pro temporis ratione præteriri, magis erit necesse, quàm vel unici commenti additamentum quæri. Quòd si vel solam Pietatem, vel solam Eruditionem, vel solam Humanitatem, vel quamvis aliam Virtutem solam in eo fuisse viderem: vel solâ illâ ex merito suo, pro virili mea laudatâ atque celebratâ, finem dicendi facere, neque*

quicquam addere amplius vellem. Verum quum apud omnes, opinor, constet, contigisse illi divinitus, ut & præclarè natus, & laudabiliter feliciterq; institutus fuerit, & in tota vitâ, gloriæ operam modestè navârit: invenio me copiâ materiæ laudum potius obrui quàm destitui. Et optarim sanè me nihil eorum quæ Virtutes eius promerentur, silentio præterire oportere: quandoquidem nec sine meo pudore, nec sine ipsius injuria quâdam, aliquid eorum omitti posse, persuasum habeo. Sed quum temporis sit habenda ratio, & opera danda, ne vestro quem modò exoravi, auscultandi favore abutar: ex innumera laudum Meisnerianarum serie, eas tantum quæ præcipuæ sunt, in theatrum hoc producam: ceteras Vobis ipsis æquo judicio æstimandas relinqvam.

Nunc, ubi ad rem ipsam devenio, planè dubito, quid primum dicam. Quia enim uno intuitu omnia mihi sese offerunt: fit, ut statuere non facilè possim, quid cui sit præponendum. Sed dabo tamen operam, ut, qui Vitæ eius ordo fuit, eundem & oratio mea observet.

Ab ortu igitur initium ut faciam, Natus noster Beatus D. BALTHASAR MEISNERUS, fuit, anno computationis Christianæ 1587. die ut Mater refert, 3 Februarii, hora 2. pomeridiana, sub positu siderum (si fortè aliquis hoc quoque scire velit: neque omnino præter rem, si intra terminos

justos, sideralis illa contemplatio coërceatur) sub
 positu inquam siderum ambiguo quidem, quum vi-
 ribus Stellarum Erraticarum oppositæ infirmitates
 propè sint æquales; quarum tres Exaltationibus suis
 gaudent: duæ Detrimento, una Casu affligitur: In-
 genio tamen & Honoribus favente. Sed hæc, quum
 sideralis causa sit Remotior, & nisi Propinquiores
 consentiant & cooperentur, sæpè reddatur irrita; plu-
 ribus non persequar. Referunt Historici, nocte ea
 qua Alexander Magnus, Pellæ in Macedonia natus fuit,
 Ephesi templum Dianæ fulmine tactum conflagrasse,
 & Sacerdotes Dianæ nescio quo afflatu discurrisse, cla-
 mitantes, *Magnum ista nocte malum Asia natum alicubi
 esse*: quod & eventus comprobavit. Quod si dicto die,
 quo noster MEISNERUS natus fuit, Sacerdotes Baalis
 Romani discurrissent, clamitantes, *Magnum Antichri-
 stiano regno malum isto die natum esse*; à vero non aber-
 rassent. Quod si etiam nos præsaga mente MEISNERI
 nostri divina dona prævidere potuissemus, & dicto die
 ingeminassemus, *Magnum bonum Ecclesie Christi natum
 esse*; falsi non fuisset. Quia verò prævidere nobis
 hæc non licuit: saltem nunc eventu edocti, diem
 MEISNERI natalitium amemus, & honoremus. Salve
 itaque tertia dies Februarii: Salve dies nitida, salve
 dies gaudii, licet seriùs cogniti: Salve, & Viduæ atque
 Liberis Meisnerianis, imò & Ecclesiæ quotannis fau-
 sta felixque redi.

Natus autem fuit MEISNERUS noster, non
 in loco aliquo obscuro, sed illustri, & in toto orbe

Chri-

Christiano conspicuo, DRESDÆ nimirum, in Misniæ illo Castro munitissimo, & sede *Serenissimorum Saxonia Electorum & Principum* splendissimâ, per omnes propè gentes notissima. Cuius loci splendori, si aliquid nitore meâ Oratione addere vellem; nâ Soli meridiano lucem apponere videri possem. Tam splendidum locum noster Beatus sortitus fuit Natalem. Etsi autem loci Natalis splendor, nascenti per se nihil prodest, si ipse eo splendore dignè non vivat: nisi vel Catilinam seditiosum Romæ natum; vel alium Facinosum quemque, ob Patriæ splendorem, aliis præcellentem contendere velimus: Vicissim etiam loci Natalis obscuritas nemini probrum parit; modò ita vivat, ut non tam laudem à Patriâ trahat, quàm in eandem conferre labore: nisi velimus, vel Ulyssi Prudentissimo, Ithacam asperam; vel Hesiodo Poëtæ suavissimo, Ascram, *κώμην οἰζυράν*; vel Philosophorum Coryphæo Aristoteli, Stagiram inter Thraces barbaram; vel Alexandro Monarchæ Magno, Pellam parùm celebrem; vel Ciceroni Oratorum Romanorum principi, Arpinum plebeium; vel Catoni Censorio, Tusculum *τὸ σικύλλιον*; vel Philippo Melanchthoni Germaniæ lumini, Brettam obscuram; vel Taubmanno olim nostro Poëtæ eminentissimo Wonsesium humile; vel Calvisio Chronologorum principi, Gorslebium ignobile; vel denique, ut præteritis aliis infinitis, exemplum exemplorum adducam, ipsi CHRISTO Israëlitarum Regi, Salvatori nostro, Bethleheman exiguam, locumque

in ea abjectissimum ad Præsepe, exprobrare: Si tamen alicui ea felicitas contigit, ut in loco illustri natus fuerit; laudis inde accessionem non exiguam ad sic natum proficisci, omni tempore habitum fuit; si nimirum celebritatem loci natalis, Virtute & præclarè gestis auxerit. Cuiusmodi locum Natalem celeberrimum & illustrissimum, quum sortitus sit etiã noster Beatus, eiusque non degener aut ignobilis Civis fuerit: inter reliquas eius laudes, hanc etiam partes suas tueri non diffitebimur.

Etsi autem non parum gloriæ affert, non parum etiam ad virtutis culturam momenti addit, Natale solum habere splendidum: attamen multò maius est, non inter Turcas, aut Gentes *à Jéx* aut Barbaras, sed in ipso gremio Ecclesiæ verè Catholicæ, Matris nostræ mysticæ, h. e. in eo cœtu natum esse, qui Jesu Christi nomen pro cognomento habet, & Verbum Dei, utriusque Testamenti libris comprehensum, purè sincereque docet & discit, usumque Sacramentorum ab omnibus corruptelis liberum habet. Cui cœtui quum MEISNERUS noster, Parentum piissimorum cura, per sacrosanctum Regenerationis lavacrum statim à nativitate insitus fuerit: grato id semper animo agnovit, & ut vivum eius membrum perpetuò maneret, assiduis à Deo precibus contendit, & pro hac præstitâ operâ Parentes semper filiali affectu amavit: idque jure merito.

Tales enim Parentes habuit, à quibus statim tenerimis in annis, omnem Pietatem & Virtutem, cum lacte materno imbibit; quales quisque bonæ indo-

lis sibi optarit. Patererat, Vir Reverendus, pietate & doctrina conspicuus, M. BALTHASAR MEISNERUS, Dresdæ in Templo Oppidano, quod Sanctæ Crucis cognomentum antiquitus habet, Ecclesiastes & Archidiaconus per annos quadraginta. Quo temporis spatio, præter labores publicos & ordinarios, de multis tentatis, ægrotis, morituris, & aliis, ministerio fidei quàm optimè meritus fuit; quem annis abhinc tribus cum Dodrante, anno videlicet 1623. Calendis Maij, ad cœlestem patriam abiisse notum est. Is hunc suum filium, sibi cognominem esse voluit.

Quòd si in corona Antichristiana hæc loquerer, aut Jesuitaster aliquis occultus, Emissariusve Pontificius alius, in hoc nostro cœtu sedens, hæc audiret; illi statim hæc animo sententia surrectura esset: Quas tu mihi MEISNERI laudes commemoras? dū ex eiusmodi Patre natū prædicas, quem silentio potius tegere, quàm palam profiteri conveniebat; quandoquidē Ecclesiastarum Conjugium Papa Romanus damnavit? Sed heus Jesuitaster, aut quocūque nomine venis, qui ista tecum ruminaris: Nihil miramur, ea, quæ Verbo Dei non concessa solum, sed & mandata, in nostris Ecclesiis honorata habentur, vobis inhonesta & prohibita esse, quum Spiritus Sanctus dudum prædixerit, sub finem mundi quosdam τὸ γαμῆν, quod tamen DEUS ordinavit, prohibituros. Quumque reliquam nostram doctrinam vobis adversam, quamvis Verbo DEI solidè fundatam, improbetis, damnetis, persequamini: quid mirum? si etiam Conjugia Sacerdotum, divinitus mandata, & nostris

Ecclesiis usitata, damnetis. Quam damnationem Vestram ne pili quidem facimus; quum potior nobis sit Regula Apostolica, jubens Ministrum Verbi, Maritum esse, & Filios pie educare. Tantum abest ut Beato nostro MEISNERO, Pater Sacerdos, quicquam labis aspergat, ut potius honori ipsi sit, cum Johanne Baptista, tam Religioso & pio Patri ortum debere. Neque enim ex Concubina natus est, cuiusmodi progenitis passim Parochiæ apud vos scatent, sed ex legitima honestaque uxore. Mater quippe nostri Beati MEISNERI, Uxor M. BALTHASARIS Archidiaconi Dresdensis erat legitima, foemina honestissima, omniumque Matronam decentium virtutum genere cumulatissima, adhuc superstes, & ob hunc tantum Filium suum unicum tam præproperè sibi ereptum, nunc moestissima, ANNA, Viri quondam Amplissimi FRANCISCI CRANTZII, Celsissimi quondam Saxonix Electoris AUGUSTI, faustissimæ recordationis, Domestici intimi, Viri honestissimi nominis, filia.

Hosce suos Parentes MEISNERUS noster non tantum Filiali reverentia coluit, & amavit, iisque obtemperavit; sed de eis etiam tacitè sibi gratulatus fuit, & id in primis cavendum sibi quasi imperavit, ne quid indignum tam honesto suo ortu committeret, aut degener argueretur. Quò magis culpandi sunt ii, qui quò honoratiorem habent ortum, eò plus improbitatis ac petulantix sibi licere somniant, atque ita vivunt, ut nihil minùs agere, quàm Parentum

lauda.

laudatis vestigiis insistere, videantur; satis esse rati, quòd præclaris Parentibus orti sint, etiamsi ad virtutem nullam ipsi contendant; quasi virtutem & dignitatem Parentum, non secus ac labem Originalem, congenitam aut hæreditariam haberent: adeoque verum esse illud tritum, ἡρώων τέκνα πημάσθω, suis ipsorum exemplis comprobare satagunt. Longè aliam mens huic nostro fuit, qui honestissimi sui ortus memor, id in primis operam dedit, ut illius dignitatem & honorem non tantum conservaret, sed & augetet. Cuiusmodi studium Deus, etiam huius vitæ largissimis præmiis afficere, & tam præclaræ indolis liberos ita beare solet, ut non rarò ortus sui autores Parentes etiam honoratissimos, virtutibus, dignitatibus, facultatibus, nominum celebritatibus, longè superent. Cuius benedictionis divinæ, præter alios plurimos, exemplum nobis beatus noster MEISNERUS præbuit luculentissimum: Quum qui secus faciunt, cum virtutibus, etiam dignitatibus & facultatibus paternis & avitis, subindè minuantur, imò sua culpa non rarò planè exuantur, & contrà contempti, ignominiiis & egestate obruantur, ut exempla innumera testantur.

Hac autem ratione modò dicta, MEISNERUS noster, quum inter Parentum suorum liberos superstites, è sexu masculino solus esset; sibi quoque quasi soli incumbere existimavit, Paternum, imò & totius Meisnerianæ familiæ nomen & honorem tueri, propagare, augere. Præter Fraterculum enim in prima

C

infan-

infantia extinctum, non nisi duas Sorores habuit; quarum natu maior DOROTHEA foemina omnium virtutum sexum illum decentium Pandora, Reverendo Dn. D. FRIDERICO BALDVINO, Collegæ, Pastori atque Superintendenti nostro venerando, uxor per annos viginti fuit, cuius memoria in *εὐλογία*. altera natu minor ANNA adhuc superstes, Viri Amplissimi & Præstantissimi Dn. D. JACOBI FABRI, Jurisconsulti Practici Dresdæ celeberrimi, Conjugalî consortio gaudet, foemina Sororis modò dictæ planè æmula. Usque adeo Generosæ arboris fructus hi, generosi evaserunt omnes, Liberiq; à Parentum Virtute Pietateq; nihil desciverunt.

Cæterùm hætenus commemorata omnia, sive singulatim sive conjunctim considerata, etsi eiusmodi sunt, ut laudem & admirationem facilè mereantur: *Quia tamen & genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra vocanda* Ovidianus Ulysses putat; eò quòd non ex causis Virtutem operantibus, quæ propriè laudem Moralem merentur; sed ex Natura, nobis nihil cooperantibus, imò sæpè insciis proficiscantur (cuiusmodi nec laudem nec vituperium propriè capiunt) & sæpè etiam Improbissimis, Celebris Patria, Honoratus Pater, Spectatæ honestatis Mater, Fratres, Sorores, & Propinqui laudati contingant; neque quicquam tamen laudis propriæ eis accedat; imò Parentum & Maiorum virtutes, magis onus quàm honos illis fiant: & dedecus potiùs eorum, inde evadat turpius & execrabilius: ideò de hisce plura afferre supersedeo, & ad ea potis-

simum

simum transeundum censeo, quæ MEISNERI nostri, ut Viri Boni, sunt propria.

Ea etsi quamplurima sunt: ex illorum tamen numero, præcipuè de ipsius indole, Studiorum cursu, Officiis & Honoribus, Conjugio, Scriptis immortalibus, & obitu denique beato dicam; secutus præceptum Platonis in Menexeno, qui Viros Illustres defunctos, inde celebrandos censet, unde Boni fuerunt existimati, & ubi generosam ipsorum originem commendaverimus, quod hætenus aliquatenus factum, postea Educationem & Institutionem; indeq; quàm præclara, & se maximè digna facinora ediderint, percensere jubet.

Maturè urere Urticas, non parœmiaco tantùm Versu, *Urit maturè, quod vult Urtica manere*; sed multo magis Communi Experientia notum est. Et Puerorum ἀδύρμασι seu lusibus, sæpè maximi momenti negotia fuisse præfigurata, pluribus exemplis ostendi posset, si res ferret. Ego nunc brevitati ob temporis angustiam studens, & multa quæ afferri possent, omittens, unumquemq; exempla cupientem ad *Varias Lectiones Antonii Mureti* remitto, qui lib. 13. cap. 9. quædam congeffit. Insigne est, quod *Pindarus Nemeorum hymno tertio*, de Achille habet, qui puer vixdum sexennis, jaculis & armis mirificè delectatus fuit, & Leones Aprosq; in materia fortè obviâ, ludicra ratione sibi finxit, eosq; *σκιαμαχίᾳ* confecit, & postea ipsorum corpora fictitia, gravi cum anhelitu affectato, humeris suis ad Chironem Magistrum deportavit, & ita ἀδύρμασι hisce puerilibus, indolis suæ

generosæ indicia haud obscura maturè fecit. Et, magnum illum Augustinum, in puericia Baptizando & Docendo, licet *ἀΐψμασιν*, evidens sui futuri magisterii præludium fecisse, memoriæ proditum accepimus. Haud dispar mihi videtur indoles ingenii naturæque mira, quæ è nostro BALTHASARE, admodum adhuc puero eluxit, dum non tantum quævis facilè, & tantum non ludens, felicitate singulari percepit; sed & Libros & quamcunqve literariam supellectilem in primis amavit; nullamqve partem domus paternæ chariorem habuit, atqve eam, quam penitiorè, & à strepitu aliisque impedimentis tam domesticis quam forinsecis remotiorè (quam aliquando mihi non sine delectatione videre contigit) pro suo sibi Museo, à Patre, hoc Filii indole singulari non parùm gaudente, & sibi gratulante, haud difficulter impetraverat: in qua scribendo, legendo, ediscendo, suo modo commentando, & iis exercitiis literariis, quæ puerilis eius tum temporis ætas ferre poterat, sese oblectavit; Studiorumq; tractationem, non cum quibusdam degeneribus *Παισιν*, sed *Voluptatem* suam unicè habuit. Atqve ita statim Puer, vitæ suæ subsequituræ augurium, cuius captandum exhibuit. Accedebat ad hanc indolem divinitus concessam, exemplum domesticum Paternum & Maternum, quorum utroque, donorum divinatorum semina, quæ in ipso latebant, non parum alimenti acceperunt. Quantum enim valeant exempla domestica in utramvis partem, neminem arbi-

trior

tror esse quem lateat. Adjuta igitur semina illa donorum divinorum, in eo adhuc latentia, & quasi vivificata exemplis domesticis quàm optimis, quâ Pietatem, quâ Honestatem, tandem incrementa laudabilia acceperunt, ut in culmos progressu temporis exigui excreverint, & fructus multiplices, de quibus jam mox dicetur, protulerint. Interea adhuc dum in puerilibus annis, spem de se Parentibus, & Propinquis, aliisque concitavit eximiam, exercens ea quæ isti ætati conveniebant, tanta industriâ, tanta cum voluptate, tantoque cum successu, ut in quantum Virum, ille tum Puer, aliquando Deo benedicente evasurus esset, feliciter ominarentur non pauci. In primis in hac tenera ætate id operam dedit, ut iis quibus par est placeret, Deo nimirum, & Christo Servatori suo, Parentibus, Præceptoribus, Cognatis, & Amicis: pravorum familiaritatem vel gratiam, non tantum susque deque habens, sed etiam contemnens & fugiens. Utinam hac in re Imitatores haberet eos, quos maximè vellemus.

Hac itaque ratione MEISNERUS noster, Pietatis, & artium quas Dicendi vocamus, fundamenta, partim publicâ informatione in Schola patria, ad quam Parentes sollicita cura eum maturè ablegarant; partim in ædibus Paternis, præcipuè in delecto & dilecto suo Museolo suprâ dicto, privata & indefessa exercitatione, laudabiliter iecit: adeò ut Præceptoribus admirationem moveret, Parentibus gaudia conciliaret, Commilitonibus exemplum gnavi &

industrii, bonæq; indolis Adolescentis exhiberet, Quibusvis spem de se ingentem & præclaram concitaret.

In hoc curriculo laudatissimè cœpto, indefessus perseveravit, usque ad annum 16. currentem, quo Pater *εὐχαι* Filii felicissimus, non sine maturo consilio eum ad Academica studia transferendum iudicavit: Hortulanos industrios & solertes imitatus. Utenim hi Arbusculas, in Plantario angusta spacia occupantes, quàm primum ramos exporrigere incipiunt, in alium locum apriciorem transferunt, ubi ramos liberiùs exporrigant, & sine impedimento in justam Arboris magnitudinem excrecant, fructusq; speratos ferant: Ita fidelis hic Pater, quum Filii profectus Dei beneficio ita auctos animadverteret, ut uberiolem culturam aëremq; quasi apriciorem postularent, quò facilius & felicius ad justam quasi proceritatem & amplitudinem, sese exporrigere possent; è Plantario Scholæ, ut vocant, Trivialis, angustiore, in campum apertiolem Academicum, ipsum translocandum censuit, quò felicius, latens in eo vis Ingenii, sese exerere, & cultura uberiole gaudens, fructus aliquando proferre posset dudum promissos.

Ablegavit igitur optimus Pater, divini Numini auspicio, hunc Filium suum unicum, uniceq; dilectum BALTHASAREM MEISNERUM, ad Academiam hanc nostratam Wittebergensem, quam præ aliis elegit, cum quòd Studiorum Humaniorum & Sacrorum flore eam conspicuam nosset;

tum

tum quòd eam adhuc suam quasi alteram Patriam, vel Matrem studiorum suorum agnosceret & amaret, quandoquidem & Ipse Juvenis olim, Alumnus eius & quasi Filius fuit, sexennio studiis Sacris & Humanioribus, debita diligentia impenso, & testimonio suorum profectuum, per collationem dignitatis Magisterii Philosophici, anno 1586. cum laude impetrato; Contubernali usus Viro nunc Amplissimo & Prudentissimo *Dn. Martino Burcardo*, Consule nostrate, quem adhuc sospitem nobiscum hoc in confessu conspiciamus: tum denique, quòd cognosset, eo ipso tempore, nempe anno 1602. Solennitatem Jubilæam Academicam, post elapsum Dei beneficio, annum à prima inauguratione Centesimum, habitum iri; eiusmodi nempe solennitatem, quam nemo nostrum antea viderat, nemo deinceps secundum visurus erat: Cuius spectatorem, & quodam modo partem aliquam, Filium esse Pater volebat, ut sua quoque vota pro salute huius Academiae, in qua deinceps victurus erat, cum toto ordine Academico, & quotquot ei tum congaudebant, praesens conjungeret. Hoc itaque consilio ad nostram hanc Academiam Pater eum ablegavit, anno 1602: ingressusque hanc Wittebergam noster MEISNERUS est, avibus, quod eventus comprobavit felicissimis, Mense Junio, Rectore Magnificentissimo *Dn. Augusto Saxoniae Principe*, Sanctae recordationis, Te v. Magnifice *Dn. ProRector*, tunc etiam *ProRector*, quum annum ageret currentem XVI. Sanè adhuc valde Juvenis, imò Adolefcens ætate: Sed probitatis habitu,

judicii

judicii maturitate, discendi ardore, fundaminum
antè positorum soliditate, multis ætate maioribus
palmam præripiens.

Ignota erat eo tempore, (quod meminerunt
mecum & alii) petulantia illa improba, quæ nunc
nimis quàm invalescere laborat, Exagitandi junio-
res ad Academiam primùm accedentes, quæ non
paucis impetus laudabilis quem adferunt, infringi-
tur, mediâq; hinc vivendi & discendi præciduntur,
sumptibus quos attulerunt, extortis & abliguritis.
Quæ quantum damnum Ecclesiæ & Reipubl. infera-
tur, si nunc agnoscere nolumus; experiemur in ex-
tremo die, quo Christus Judex, cui in membris suis
hæc injuria infertur, de ea aliquando, coram totius
generis humani, & omnium Beatorum Angelorum
Concilio, non tantùm sibi Esurienti nihil datum,
sed id etiam quod habuit, surreptum, conqveretur,
& simul intolerabilem, nec unquam revocandam
sententiam in istos primæ sementis Ecclesiasticæ per-
ditores & vastatores pronuntiabit. Quàm malè au-
diant hodiè nonnullæ Academiæ hoc nomine, no-
runt illi qui interdum ad colloquia & conversationes
honestorum hominum alibi degentium, veniunt;
adeò ut jam multi liberos ad Academias vel planè
non ablegandos statuunt, vel cum timore & tremo-
re eos ablegent. Quòd si Exagitationibus res Aca-
demica promoveri deberent; Illi potiùs exagitandi
essent, qui diu in Academiis, nescio an dicam otiosi,
an comessati & obsonati, an heluati & lurcati, an tu-

mul-

multuati, an grassati, an digladiati, an aliis modis cum blasphemis in Deum & molestiis aliorum, morati sunt, & tandem post plures annos sine fructu absorptos, vel à pietate, vel à bonis moribus, vel ab eruditis & necessariis lingvis, vel ab Artibus humanæ societati utilibus, vel ab horum duobus, pluribus, omnibus, parum instructi ad suos redeunt; sæpè tantùm ab Academiis domum non reportantes, quantum ij quos exagitarunt, domo attulerant primum accedentes. In quos aptissimè quadrat illud Homericum, *αἰχρὸν τοι, δὴ γόν τε μένειν, κενεὸν τὸ νέεσθαι.* Turpe, diu mansisse, domum vacuumq; redire. Si illa pravitas eo tempore, quo noster Beatus MEISNERUS huc accessit, Juvenis annum XVI. agens, hinc viguisset: quis scit, an non vigor ingenii, & præclarus eius impetus, cum injuria Ecclesiæ Dei, si non infractus, saltem retractus fuisset? Sed fruebatur ille eo tempore adhuc *jure illo*, quod non planè absurdè dixerò, *Gentium*, & sua sibi in libera Academia agere, sine Turbonum injuria poterat.

Ut autem à primis statim annis hunc scopum sibi propositum habebat, ut tempus & sumptus rectè collocaret, & fructum liberalis educationis, ac munificæ sustentationis, aliquando, Deo benedicente, gratus proferret: Ita etiam ad Academiam ablegatus, eidem proposito acriter institit, & nihil magis in votis habuit, quàm ut aliquando Deo & eius Ecclesiæ inservire, Parentibus grata *θετηήσια* reddere, & spei illorum satisfacere, Supremoq; Magistratui

D

Electo-

Electorali Saxonico, cuius munificentia singularis, ex redditibus Ecclesiasticis Procuraturæ Misnenſis, de sumptibus ad studia, ipsi Clementissimè prospexerat, utilis esse posset. Secus, quàm nonnullis mos est, ut in annis minoribus, omni petulantia & improbitati, sæpè etiam Parentibus (qui gravissimam propterea justo vivorum & mortuorum Judici rationem reddent) conniventibus, militent, ea spe, ubi deferbuerit ille paroxysmus Improbitatis, eò probiores postea futuros, & eò commodioribus Parentes illis uturos, *Mein Sohn / inqvunt, muß erst ver- rafen.* Sed ò inanem spem cum Parentum stultissimorum, tum Filiorum incautissimorum. A teneris assvescere multum est. Vide an Urtica primùm enata urens, adultior urere desinat? Vide an Absinthium recens enatum amarum, adultius dulcescat? Vide an Vipera primo ortu venenata, cum ætate venenum deponat? Minimè gentium; imò cum ætate hæ qualitates ad vigorem pervenire deprehenduntur. Eodem modo, *raſet mancher von Jugend an so lange / daß er nicht außraſen kan / biß er sich in die Helle hinein raſet.* Quòd si exempla fortè proferuntur eorum, qui in Juventute probissimi, cum ætate evaserunt pessimi, de quibus Versus Erinnyum afflatu prodiit, *Angelicus Juvenis, senibus Satanizat in annis*: causa non est in bona educatione vel assvefactione, vel in ipsa probitate Juventutis: sed longè aliæ sunt in promptu, Prava societas, Scandala data, & si quæ sunt similes. Contrà si fortè exempla dari possint

eorum

eorum, qui in Juventute pessimi, cum ætate evaserunt *utcumque boni*, [vix enim *Optimi* poterunt dici]: utique pauca erunt, vix puto *numero totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili*: & in contrarium, infinities plura proferri possent. Et si vel maximè multa darentur: aliæ tamen huius Consequentis in promptu essent causæ, de quibus hic differendi locus non est. Quivis vir prudens & cordatus, facile eas vel metacente ominari potest. Longè alia fuit mens nostro MEISNERO, qui Adagium illud multò pluribus, imò innumeris exemplis comprobatum sibi proponebat, *Jung gewohn / Alt gethon*: Ideoque quod in ætate processura sibi factitandum censuit, id etiam in Juventute exercendum, sed sedulò se ad illud assuefaciendum, sibi met ipse imperavit. Ante omnia autem DEI gratiam & benedictionem ad omnes suas actiones piis precibus efflagitavit; vitæ honestati, tranquillitati, & modestiæ semper operam navavit, & debita diligentia studiis incubuit. Nec profectò sine successu. Mox enim in primo accessu, favorem, & amicam affectum Præceptorum, aliorumque quibuscum conversabatur, in sese convertebat. Et quia fundamenta Artium in Schola patria & domesticâ, fideliter jecerat, Deumque sibi propitium precibus exoraverat: Facile ei fuit, Deo benedicente, & justa diligentia adhibitâ, ea feliciter superstruere, quorum structuram sibi proposuerat. Ideoque quod

alii plerique pluribus annis, & in maiore ætate, ægrè assequuntur; Ipse intra biennium facillimè assecutus fuit, & testimonium Virtutis atque Eruditionis suæ publicum, ad Gradum supremum dignitatis Philosophicæ, quem Magisterium indigitant, euectus, cum insigni laude reportavit; exhibitis & editis, in Privata & Publicis Examinationibus, speciminibus admodum egregiis, quorum adhuc, qui interfuimus, cum honore eius recordamur: (Id quod factum est, anno 1604. die Martii 27, ætatis 18^{vo} currente, Decano Viro Clarissimo *Dn. Jacobo Martini*, id temporis Logicæ & Philosophiæ Practicæ, nunc SSæ Theologiæ Doctore & Professore publico) Competitores nactus plerosque tales, ut quem cui in τὰ ἔξῃ processus instituenda præferremus aut postponeremus, ambiguum nobis fieret: Ex quibus *Nicolaum Hunnium*, nunc Theologiæ Doctorem, & Ecclesiarum Lubecensium Superintendentem, *Michaëlem Döringum Vratislaviensem*, nunc Medicinæ Doctorem, & eius Reipub. Physicum ac Medicum; *Jacobum Werenbergium Hamburgensem*, Ecclesiæ patriæ Pastorem, & in Gymnasio Lectorem; & *Martinum Rotbium Naumburgensem*, Scholæ Portensis Illustris Collegam, [quorum duorum posteriorum nomina sunt ἐν ἐυλογία] præteritis aliis pluribus, honoris causa nomino.

Impetrato ita cum honore & laude Gradu Magisterii, studia Philosophica, quod multi faciunt, non abiecit, aut nihil amplius commercii sibi cum illis

esse

esse oportere ratus est, aut quum ad sublimitatem
 studii Theologici antehac cœpti contenderet, ea
 contempsit, vel infectatus est: Sed quum recto judi-
 cio rem æstimaret, usumqve Lingvarum & Philoso-
 phiæ in sublimi SSæ Theologiæ studio, summè ne-
 cessarium intelligeret; ut sine quibus, neque genui-
 num sensum Verborum, Phrasium, & Textuum per-
 spicere; neque Verbum Dei docendo ὀρθοῦμεν; neq;
 contradicentes sufficienter ἐλέγχειν, quisquam po-
 test: Philosophiam juxta Theologiam indefesso stu-
 dio excoluit. Quumq; rectè statueret, Philosophiam
 non esse, ut quidam opinantur, *Gentilem speculatio-
 nem; sed præter Sermonis & Rationis à Deo data cultu-
 ram, Operum divinorum in Natura contemplationem, &
 inter Honestam atqve Turpia discretionem, undecunqve ea
 hauriri possit: idcirco eam, non ex scriptis tantum
 Platonis, vel Aristotelis, vel alterius Ethnici, addi-
 scendam arbitratus est; sed adhibita simul in consi-
 lium Recta Ratione, & Scriptura Verbi divini, qua-
 tenus de Naturæ operibus, & Honestis ac Turpibus
 actionibus, passim nos informat. Nimis enim an-
 gustum foret, & cum iniuria Augustissimæ Philoso-
 phiæ fieret, si eam tantum ex cerebro alicuius Ethni-
 ci, quem multa de Creatione rerum in natura, non
 ut Philosophum, sed ut Ethnicum latuerunt, men-
 surare vellemus. Neque Philosophi est, Nescire
 Scripturam: sed Ethnici. Et sicut Ethnicus pro-
 pterea quis statim non est, qui ex Ethnicorum libris
 docet, *Eclipses Solares fieri tantum in Novilunio; Lunares**

*in Plexilunio: vel, In omni triangulo reſtangulo, quadra-
 tum Hypotenuſæ æquare quadrata laterum: vel, Ignem eſſe
 Calidum & ſiccum: Terram, Frigidam & Siccam: Elemen-
 ta in Mixtis non eſſe actū, ſed potentia: Tres eſſe Figuras
 Syllogiſmorum: Virtutem conſiſtere inter ſua extrema: O-
 mnem actum præſupponere Potentiam: & ſimilia; quæ
 omnia docet, non ut Ethnicus, ſed ut Philoſophus:
 Ita quoque non propterea ſtatim eſt Theologus, aut
 falcem in meſſem Theologicam immittit, qui ex
 Scriptura didicit & docet, De Creatione rerum; de Sole
 quarto demum die creato; de Avibus ex aqua productis;
 de Terra, initio creationis orbiculariter aquis tecta, poſtea
 ſecundo die juffu Dei reſecta, & Aquis incertos alveos Ter-
 ræ coactis; & ſimilibus: Illa omnia docet nō ut Theo-
 logus, ſed ut Philoſophus, qui undecunqve poteſt,
 adminicula Contemplationis Naturæ, gratus accipit.
 Rerum multò ſublimiorum Contemplatio Theolo-
 go cedit, de Unitate Eſſentiæ divinæ; de tribus bypoſtaſi-
 bus; de Unionē bypoſtatica in ſecunda perſona Deitatis; de
 Spiritu Sancto; de lapſu & redemptione generis humani;
 de Eccleſia; de Sacramentis; de Pœnitentiâ ſalutari; de
 Fide vera; de Reſurrectione ad vitam vel condemnationem
 æternam; & quæ eius generis ſunt alia multa. Horum
 contemplatio Theologum facit, non illorum. Et
 quàm ineptus futurus eſſet Historicus vel Chronolo-
 gus, qui ſeriem temporum, & actorum à condito
 Mundo, tantum ex profanis Autoribus deducere
 præſumeret: tam ineptus quoque Philoſophus foret,
 qui nihil ſubſidii ad contemplationem naturæ, & diſ-
 cretionem Honoſtorum ac Turpium, ex ſacris Literis*

affu-

assumere vellet, si posset. Quòd Plato, quòd Aristoteles, quòd Cicero, quòd alii hoc non fecerunt; potius defectus & ignorantia ipsorum est ascribendum, quàm essentia Philosophia affingendum.

Rectius noster Beatus MEISNERUS statuit, & Philosophia *σωματοποιον* quandam, non ex deficientibus tantum libris Ethnicorum, sibi comparavit; sed etiam ex Sacris eam supplevit, & ad usum Sacrorum accommodavit; quam PHILOSOPHIAE SOBRIAE titulo insignivit; Librum quibusvis Philosophia & Theologia Studiosis perutilem, ideoque diurna nocturnaque manu sedulo versandum. Huius insignis laboris sui & fructus eius, ut participes etiam alios faceret: subsequenter annis publici juris eum fecit, non sine grata acceptatione tam exterorum, quàm huius territorii incolarum.

Interea antequam hanc editionem adornaret, annis 1605. 6. 7. 8. in studio Sacrosanctae Theologiae, cui se principaliter consecraverat, huius Philosophici sui laboris fructum non exiguum percepit, eiusque specimina nec pauca nec contemnenda edidit; & cum privatim docendo, tum publice Disputando, magnam sui existimationem sibi acquisivit; studioque ac Virtute sua promeruit, ut Facultati Philosophicae Collega seu Adjunctus assisceretur, id quod factum me Decano, imò Decanatum jam deposituro, Calendis Maij anno 1608. ætatis ipsius 22.

Et ut ante Gradum impetratum, Disputationibus Philosophicis, de variis liberali cognitione dignis, *de Certitudine Mathematica Demonstrativa; de Meteoris*

in ge-

*in genere & specie; de Metallis; de Partibus corporis huma-
ni; de Natura; de Categoriis; de Causis per se & per Acci-
dens; & de aliis multis: Ita post impetratum Gra-
dum, de rebus cum primis Theologicis, publica spe-
cimina edidit longè præclarissima, Ex quibus ut ali-
qua tantum attingam, est Disputatio de perfectione
Scriptura, in Collegio Reverendi Dn. D. Leonbardi Hüt-
teri, anno 1606. ætatis 20. currente, mense Martio:
Et mox eiusdem anni Decembri, Disputatio de Unio-
ne Personali, in Collegio Reverendi Dn. D. Friderici
Baldvini, super Articulis Visitationis. Et ita dein-
ceps aliis plurimis Disputationibus Theologicis &
Philosophicis, ut & Concionibus sacris in Templo
utroque habitis, profectus suos egregios, cum aliis
quibusvis, tum etiam Aulæ Electorali inclarescere
fecit abundè.*

*Quo factum est, ut post fruitionem beneficii Ele-
ctoralis ex Procuratura ut vocant Misnensi, statim
immediatè, gradibus inferioribus non pertentatis,
ad supremum Stipendium Theologicum XC. flore-
norum, iubente Serenissimo Electore, in hac Aca-
demia euectus fuerit. Quo per integrum quinquen-
nium cum sex mensibus, in gloriam Dei, emolumen-
tum Ecclesiæ, & gratam retributionem Electori &
Patriæ, exemplo non cum multis conferendo, rectif-
simè fuit usus, partim hîc nobiscum agens, partim
Electoralis indultu Clementissimo alias Academias
perlustrans.*

Impetravit enim assensum Electoralem Clemen-

tissi-

tissimum, Exteras Academias visitandi, & hac quoque ratione autionem suæ jamdum spectatæ Eruditionis faciendi. Eoque indultu Clementissimo uti frui cœpit anno 1609. 23. Martii, quo iter hinc fuit cum Deo ingressus, Argentinam petiturus, quam die XI. Aprilis eiusdem anni feliciter intravit. Inde Mense Octobri, visa prius Basilea & Alsatia Brisgaviaq; perlustrata, Tubingam concessit. Ubi aliquandiu commoratus, Giessam Hassorum venit, die 13. Septembris anni 1610. ubi decem quasi menses substitit, perlustratis tamen data occasione locis quibusdam circumjacentibus. Tandem reditum in patriam & ad nos meditatus est, atque hanc ob causam, Giessa discessit d. 20. Junii anni 1611. indeq; 29. Junii, redux & saluus Wittebergam nostram devenit.

In qua peregrinatione sua biennali & quod excurrit, non hoc egit, quod inepti Peregrinatores solent, qui Turres tantum & Portas Civitatum, Pontes & Montes, Valles & Calles numerant & notant, & ad suos reversi, mirè, interdum etiam cum additione prædicant & describunt: sed cum Viris in omni doctrinarum genere præstantissimis, præsertim Theologis conversatus, & eorum eruditionem ac virtutes non tantum admiratus, sed & imitatus, suas fecit: & quocunqve ferè locorum pervenit, ut ex multis nominem Lauingam, Tubingam, Argentinam, Giessam, (nam Monacum, Ingolstadium, & alia loca Papicolarum, ubi specimina edere ipsi nec licuit, nec placuit, lubens prætereo) semper favorem & amo-

E

rem

rem multorum Bonorum sibi conciliavit, & ubi discessit, nominis atque existimationis suæ mentionem honorificam post se reliquit, Virisq; doctissimis plurimis ita charus esse cœpit, ut non tantum conversationem eius jucundam habuerint, & ambierint, sed & charissimum sibi MEISNERUM secum retinere decertarint. In primis memorabile est, & ad laudes nostri MEISNERI non parum momenti affert testimonium duorum illorum Eminentissimorum Virorum Theologorum, *Jobannis Pappi, in Argentoratensi; & Balthasaris Mentzeri, in Giessensi id temporis Academia, Professorum primariorum.* Quum enim vix mensem MEISNERUS noster Argentorati egisset, eius vitæ honestatem juxta atque singularem eruditionem non satis mirari & deprædicare; suumq; erga ipsum amorem contestari *Dn. Pappus* potuit. Id quod eius literæ anno 1609. die 24. Maij, (quum quidem *XI^{mo}* Aprilis antè MEISNERUS eò appulisset, & sesqui Mensem ibi substitisset) ad Reverendum & Clarissimum *Dn. Superintendentem nostrum Dn. D. Baldvinum,* qui hunc Affinem suum commendatitiis ad *Dn. Pappum* instruxerat, Argentorato rescriptæ clarè indicant. *Quem tu nobis autem virum, [ita Pappus ad Baldvinum] quæ doctrina, quæ ingenii præstantia, quæq; differendi subtilitate, quæ etiam morum suavitate & honestate commendasti? prorsus ut valde nos tibi obligatos fateamur, qui in notitiam Magistri MEISNERI tua nos commendatione induxeris.* Et mox: *Omnino tibi persuadebis Vir*

Reve-

*Reverende & Clarissime, nihil omnino esse, quod in tam
 praclarum Affinem tuum à me quidem proficisci possit,
 quod non promptissimo sim facturum animo. Ita Pappus.
 Conscripserat autem M. MEISNERUS Argentoratum
 modò ingressus, Disputationem De Communicatione
 donorum infinitorum, eiusque habendæ Præsidentem sibi
 Dn. PAPPUM exoraverat. Qua Disputatione Ar-
 gentorati habitâ, quantam existimationem sibi
 apud omnes conciliarit, malo ipsius Dn. PAPPI,
 quàm meis verbis proferre. Sic Ille: Statim ut Ar-
 gentoratum appulit M. MEISNERUS, Disputationem de
 Communicatione donorum verè infinitorum &c. mihi obtu-
 lit, meq; ut ipsi de ea disputaturo præsidere vellem oravit. An-
 nui lubens e quidem; quòd & disquisitione publica dignam
 banc materiam scirem: & quòd facile animadvertarem,
 perparum, vel nihil potius laborum hac in parte subeun-
 dum mihi esse. Quid dicam? Auditus est biduo à no-
 stris, non maxima solum cum admiratione, sed planè cum
 stupore, tum studiose Juventutis, tum ipsorum quoque
 Professorum. Gratulamur igitur Vobis omnibus hanc
 felicitatem, & ut ea quàm diutissimè persfruamini, Deum
 precamur. Hæc Dn. Pappus. Quibus addo, quod
 idem Dn. Pappus, de hac ipsa Disputatione, ad Col-
 legas suas sæpius dixisse fertur, ut à quodam mihi
 relatum est, Habuisse M. MEISNERUM illam dis-
 putationem se non tam Præsidente, quàm tantum Præsen-
 te. Hactenus PAPPI illius Magni iudicium ma-
 gnum.*

Sed audiamus etiam Magnum illum *Balthasarem Mentzerum*, Giessæ tum temporis Theologum eximium, qui & ipse nostri M. BALTHASARIS MEISNERI conversatione & convictu plurimum fuit delectatus, eumque mirè amavit. Ita ille scripsit ad eundem nostrum Dn. Superintendentem *D. Baldwinum*, Dominica Invocavit anno 1611. *Anno M. MEISNERI, ut debeo, pietatem, modestiam, diligentiam, & doctrinae soliditatem, eoque etiam magis, quia facili literarum mutatione, ego MEISNERUS fieri, & ipse MEINSERUS potest, & unum utriusque nomen commune est.* Ita nimirum mutuo amore sese invicem adamabant ut utervis alterum, SE ALTERUM haberet. At non sufficebat MENTZERO, MEISNERUM ita impensè amasse, & usura amoris illius aliquandiu frui potuisse: Id insuper agebat, ut MEISNERUM planè Giessæ retineret; eoque nomine quum MEISNERUS domum & Wittebergam, paternis literis revocantibus, reditum meditaretur, non tantum ad Dn. Parentem, ipsius Dresdam scripsit: sed etiam ad quosdam Aulicos Dresdenses scribere in animo habuit. Ita n. in modo allegatis literis inquit: *Meum Magistrum MEISNERUM hoc tempore advocari, grave est. Intercessi igitur apud Dn. Parentem diligenter, ut aliquantisper adhuc manere ei nobiscum liceat. Nec renuo, si res postulet, apud alios, etiam Aulicos Dresdenses, in quibus unum & alterum scio me habere mihi non vulgariter faventem, interponere meas preces, ut voti fiamus compotes. Habet ille sub manu Tractatum & necessarium & utilem, quem ab-*

solvere

solvere eum hic posse opto. Imò si ab obligatione esset liber, vix consentirem in eius dimissionem. Haftenus etiam Magni illius MENTZERI iudicium magnum. Unde quivis videt, quàm facile fieri potuisset, ut tantæ estimationis Vir Juvenis, nostræ Academiae & huic Saxoniae interceptus fuisset. Quantas enim persuadendi, ut in Hassia maneret, artes adhibitas fuisse censetis? Quot pollicitationes ipsi factas? quot alios arietes splendidarum functionum, & Salariorum optimorum ei admotos fuisse reputatis? Verùm MEISNERUS noster, quum sciret, se Electorali domui Saxonicae, & Patriæ, imò & huic Academiae obstrictum; nullis artibus sibi, ut maneret, persuaderi; nullisque pollicitationibus, aut functionum splendidarum arietibus sese expugnari passus fuit. Potiorem habuit rationem voluntatis Paternæ, & debiti Patriæ ac Nutritio Clementissimo inserviendi. Cui constanti proposito *Optimus Mentzerus* tandem, licet invitatus, assensit, atque ita eum, prius tamen, ut arctior inter ipsos esset & maneret Amicitia, Filiolo suo Compatrem & Baptismi testem exoratum, cum pace dimisit, votis omnibusque faustis eum cum multis Bonis aliis profecutus.

Postquam igitur hoc modo MEISNERUS noster, quæ Eruditionem, quæ vitæ modum habendi rationem, plurimum auctus, in præcipuis locis peregrinationis suæ, nominis sui præclaram existimationem, memoriamque honorificam reliquit; Reversus Deo duce Wittebergam, die 29. Junii anno 1611.

invenit *Professionem Etbicam* in Collegio Philosophorum huius Academiae, vacantem, defuncto aliquantulum antè, Viro Præclarissimo, *Henrico Velstenio*; in cuius locum adhucdum absens, tum à Facultate Philosophica, tum à tota Academia, Aulae Illustrissimæ nominatus & commendatus fuerat: In quam Nominationem & Commendationem Collegii, imò & Academiae, Serenissimus Saxoniae Elector Clementissimè consensit, eiq; locum hunc in ordine Professorum Philosophorum assignavit; Cui per integrum biennium, cum laude summa, & commodo Juventutis Studiosæ maximo, præfuit, & hanc Spartam sibi commissam, non tantum Legendo & Disputando, sed etiam propria praxi præeunte, plurimū exornavit.

Quia verò, ut antehac semper ita nunc vel maximè, ad sublimia sese natum agnoscebat: etsi locum hunc honestissimum minimè fastidiebat; plus tamen Deo & Ecclesiae in Theologiae tractatione se inservire posse, quasi præfagiebat: ideoqve juxta hasce operas Philosophicas, etiam Theologicas tractavit; adeoqve ad Facultatem Theologicam aliquando capessendam, sese subinde magis atqve magis præparavit; operaqve indefessâ, Deo benedicente, ita in Theologicis studiis profecit, ut post impetratam Autumno eiusdem anni 1611. *Licentiam*, quam vocant, ad summum in ea Facultate Gradum evehere tur, & Sacrosanctæ Theologiae DOCTOR, publicè solenniterqve, cum maxima sui laude, & applausu omnium, renunciaretur. Id quod factum fuit, a. d.

21. Januarii anni 1612^{mi}, ætatis 25^{to} jam ad finem decurrente, in medio adhuc curriculo Professionis Ethicæ, Electorali autoritate sibi demandatæ.

Ad quam quum sese divinitus vocatum sciret, & porrò Ecclesiæ Dei operisqve Theologicis sese potissimum dicatum vellet: ut in hoc, & aliis quæ prope diem sperabat officiis, castè, & cum bona conscientia, Deum, cui se servire agnoscebat, colere posset. præceptum Apostolicum secutus, & parùm sollicitus, quid Pontificii, Conjugii Sacerdotum damnatores, vel tunc, vel etiam post mortem suam, sensuri essent, Conjugium meditatus est, & uxoris unius maritus esse decrevit; quam etiam divina gratia imploratâ, & re prius secum, ut & Parentibus & Amicis, probè deliberatâ, legitimè duxit, eamqve Virginem, Honestissimam nimirum & Ornatissimam MAGDALENAM, Viri quondam Magnifici & Amplissimi, Dn. LUDOVICI PERSONII, J. U. D^{is}, & in hac Academia olim Professoris Celeberrimi, posteaq; Electoralis Consilarii Eminentissimi, τὸ ζαμαεῖτῃς, Filiam unicam, nunc Viduam contristatissimam: Cui eodem die, quo Theologiæ Doctor salutari cœpit, ritu solenni, coram Ecclesia huius loci copulatus fuit, dicto nempe die 21. Januarii, anni 1612^{mi}. Quem diem, utroq; nomine, quotannis sibi, nō *Album* modò, sed in primis gratiis Deo agendis *Solemne* habendū duxit.

Cum hac autem Conjuge sua lectissima, ita semper vixit, ut honestū & εὐσπορευ Maritum decet, amore eam prosequens, quantum ut homo poterat, illo,

quo

quo se à Christo Sponso suo mystico amari sciebat, cohabitans illi cum omni svavitate, castitate, mansuetudine, & *Mexcia*.

Neque defuit his conjunctissimis Conjugibus benedictio divina. Præter successus enim alios, quos in re Oeconomica habuerunt; fructus quoque Ventris, ut Scriptura nominat, Deo benedicente, susceperunt, Liberos intra hosce XIV. annos, numero novem: ex quibus tres adhuc Filioli, quos omnes æmulos paternarum; & unica Filiola, quam maternarum virtutum æmulam speramus, superstites vivunt; utq; diu vivant, famamqve Paternam conservent, decorent, augeant, vovemus. Imò & adhuc in expectatione est Soboles decima postuma, quam ut feliciter in has auras prodire faciat is, in quo sumus, vivimus, & movemur, & absque quo vis parienti nulla est, obnixè rogamus.

Cæterum proximo statim anno post Doctoralem dignitatem acceptam, Uxoremqve ductam, fiebat, ut Vir Reverendus & Optimus, *Dn. Johannes Försterus*, SS. Theologiæ D. & in hac Academia Professor, & simul Alumnorum Electoralium Inspector, Islebiæ vocatus discessum pararet, atqve hac ratione locus eius in Facultate Theologica vacaret. Ibi Patrum Academicorum suffragiis omnium, dignus habitus fuit, qui Serenissimo Saxonix Electori, in eum locum sufficiens nominaretur & commendaretur. Quumqve jam industria eius Legendo, & tam Theologica quàm Philosophica disputando,

cum

cùm alibi, tum etiam in Aula Electorali Saxonica quàm optimè nota esset: ultrò annuit Serenissimus Elector, & utramqve functionem *cùm Professionis Theologicae, tum Inspectionis Alumnorum Electoralium*, ei clementissimè demandavit.

In quarum utraqve, quanta fide, industria, dexteritate versatus fuerit jam per annos quasi quatuordecim, notius est, quàm ut de prædicatione mea egeat: & si multis verbis hoc Vobis, Auditores, ostendere vellem, fortè auditurus essem, me *Noctuas Atbenas* portare. *Interrogate Cathedram hanc*, voce ipsius adhuc quodammodo animatam; & de fidelissimis laboribus eius, quos Docendo & Disputando præstitit, testabitur. *Interrogate suggestum Templi nostratis utriusqve*; & de laboribus, quos Concionando & prædicando, populumqve viam Veritatis docendo exhaustit, eadem respondebit. *Interrogate Collegium Alumnorum Electoralium*; & quantum Viri huius industriâ, antequam partim Monetæ injuria, partim Pestis sævitia, partim Belli metu, cœtus ipsorum, non minùs quàm Academicus reliquus dissiparetur, huius Viri industriâ adjutum sit, fatebitur. *Interrogate quosvis qui eum docentem audire soliti sunt*; & quantum fructuum ex operis eius ad se redierit, profitebuntur. *Intrate Museum ipsius cultissimum*; & calorem laborum ipsius adhuc sentietis. *Intrate Bibliopolea*; & monumenta laborum eius egregia invenietis. *Adite ipsos Adversarios*, sive ex Antichristianorum, sive ex Calvinianorum, sive ex Photinianorum, sive

aliorum quorumcunque grege; non poterunt negare, Scripta nostri D. MEISNERI, non pauca sua labefactasse. *Adite Doctores Pontificios, & quærite, quid ad Dicus duas à MEISNERO ipsis scriptas hætenus responderint; Fatebuntur, aut materiam, aut facultem respondendi, aut utramque sibi defuisse. Imprimis autem adite Ingenuum illum Virum, Dn. Jacobum Reihingium, olim Jesuitarum, & Patronorum Anti-Christi non postremum, nunc Augustanæ nostræ Confessionis addictissimum, & S.S. Theologiæ in Inclyta Tubingensi Academia Doctorem ac Professore celeberrimum, & quærite, quantas à Doctore MEISNERO nostro, duodecim Civitatis suæ nostræ Catholica murorum concussiones, imò dejectiones accepit, per Arietem illum, ex armamentario, seu ut hodiè exoticè vocant, Arsenali Scripturæ eductum, quem MURUM BABYLONIS ROMANÆ inscripsit; Fatebitur ipse, non parum ad agnitionem Veritatis, & Conversionem sui, nobile illud scriptum Meisnerianum, secundum Deum cui primæ partes debentur, fecisse. Adite deniq; & interrogate domi; adite & interrogate foris, quoscunque, qui Scriptorum Meisnerianorum gustum aliquem perceperunt; & consentientes invenietis omnes.*

Neque verò satis sibi esse ducebat D. MEISNERUS noster, labores ordinarios debita fide obiisse: verum quantum temporis ordinariis laboribus superfuit, id omne non otio, luxuive, sed Meditationibus, Commentationibus, Disputationibusque extraor-

dina-

dinariis tribuit; adeò ut ne Dominicis quidem diebus sibi per aliquot annos pepercerit, sed vel hoc etiam modo Sabbatum Sanctificandum censuerit. Testantur hoc cum alia multa, tum Disputationes illæ, publicè quidem in commodum quorumvis, sed extraordinariè citra fraudem ordinariarum operarum habitæ, quæ primum PRÆCOGNITA THEOLOGIÆ pertractarunt, postea ipsius SYSTEMATIS THEOLOGICI Constituendi initium fecerunt; sed proximo anno, propter dissipationem plerorumque Studiosorum, nonnullorum etiam qui Collegio intererant, mortem suspensæ; tandem verò morte ipsius præmatura, abruptæ fuerunt. Qui labor eximius, si ita continuari, & ad umbilicum deduci potuisset, si vel maximè alius nullus esset, solus MEISNERUM nostrum inter homines Immortalem facere potuisset.

Et ea sanè fuit Viri in corpusculo non adeo valido, indefessa, & quod pace manium ipsius dixerim, ferè nimia & valetudini noxia industria, ut nullus annus sine præclaro aliquo Ingenii ipsius fœtu, eoq; non uno, abiret. Ut enim de annis, antequam Officiis publicis in hac Academia præfectus fuit, taceam, quibus Disputationes varias, partim hîc, partim in peregrinatione alibi conscripsit & habuit, ut, *De Unione Personali, De Perfectione Scriptura, De Causis Peccatorum, De communicatione donorum infinitorum,* (quam magis se *Præsente* quàm *Præsidente*, ab ipso habitam fuisse, PAPPUS dicere solitus fuit)

De Regimine Ecclesiastico, de Vitiosa ratione disputandi Scholasticorum, & alias plures: eos tantum percurram annos brevissimis, quibus Officia publica apud nos administravit.

Anno enim 1611. ætatis 25. currente, præter Orationem Inauguralem, quum ad Professionem Ethicam accederet, *De impedimentis practicis habitam, edidit Primam partem Philosophiæ Sobriæ. Dissertationem de Religione Lutherana capeffenda. Consultationem Catholicam, Leonbardo Lessio Jesuitæ Lovaniensi oppositam.*

Anno 1612. ætatis 26. currente, *Enodationem Problematis de Prædicationibus Inuicatis. Decadem primam ἀνθρωπολογίας sacræ. Et Scholas Academicas.*

Anno 1613. ætatis 27. currente, *Partem secundam Philosophiæ Sobriæ. Disputationem de Fidei Justificantis appellationibus, partibus &c: Et Aureolum libellum ex dicto Psalmi 51. Cor mundum crea in me DEUS; quem Rönig Davids Seuffzerlein inscripsit.*

Anno 1614. ætatis 28. currente, *Decadem secundam ἀνθρωπολογίας sacræ. Responsum ad Censuram Vorosmartii, affixum Consultationi Antileßianæ, triennio antè editæ, & modò commemoratæ. Disputationem de Calvinismo fugiendo. Dissertationem de Summo Bono.*

Anno 1615. ætatis 29. *Murum Babylonis Romanæ, oppositum 12. muris Novæ Jerusalem Catholicæ Jacobi Reihingii tum Jesuitæ. Decadem tertiam ἀνθρωπολογίας sacræ. Orationem de Arca Noachi.*

Anno 1616. ætatis 30. currente. *Tractatum de Legibus. Disputationem de Fide Jobi. Et, de Persona Christi.*

Anno

Anno 1617. æt: 31. curr: Orationem Parentalem
de Vita Leonbardi Hütti S S. Theol. D. & Professoris
 quondam nostratis, in Reſtoratu Academico, planè
 ut ipſe Noſter, defuncti. Diſputationem *de Fidei Ju-*
ſtificantis forma. Orationem *de Jure Canonico*. Duo
 Jubelpredigten/ tempore Jubilæi Eccleſiaſtici Luthere-
 rani, anno illo, primis diebus Novembris habitas.
 Leichpredigt/ quam habuit Viro Clariff. *Tobia Tandlero*
 Med. D. & Profefſori noſtrati.

Anno 1618. æt: 32 curr: *Λογολογίαν, ſeu Diſputatio-*
nem de æterno æterni Patris λόγῳ. Leichpredigt in funere
 cuiusdam Studioſi *Crafftij*.

Anno 1619. æt: 33. curr: Diſputationem *de pri-*
mario ſine Fidei. Meditationes in Evangelia Dominicalia.
Conſiderationem Theologiae Pbotiniana.

Anno 1620. æt: 34. curr. *Queſtiones aliquot vexa-*
tas. Trewherzige Warnung für der Catholiſchen Reli-
gion/ nomine totius Collegii. Commentarium in
Oſeam, Die erſte Prob Calviniſcher Religion. Sieben
Predigten zu Berlin/ vnd auff der Reiſe gehalten. Evo-
catus enim fuerat anno 1614. quum Reſtoratum Aca-
demicum primùm gereret, à Sereniſſima Electoriſſa
Brandenburgica Vidua τῆ ἐν ἀγίοις, ad Conciones tem-
 pore feſtivitatis Natalitiorum, coram ſe Berlini &
 in itinere habendas: quas etiam, licet non ſine ad-
 verſitatibus aliquorum, cum laude ſui, & gratia Ele-
 ctoriſſæ, imò cum ædificatione, ut non dubitamus,
 multorum habuit. Eodem anno Concionem fu-

nebrem, Viro Consultissimo, *Wolffgango Hirsbachio* J. U. D. & Professori nostrati habitam, in publicum emisit.

Anno 1621. æt: 35. curr: *Depulsionem Excubi-
rum Papisticarum. Admonitionem de Cornelii Martini* Professoris Helmstadiensis, quem habuerat Adversarium, scripto contra se edito. Die andere Prob der Calvisnischen Religion. Orationem de Cherubinis. Catholicum responsum auff die Reherische Frage / Ubi fuerit Ecclesia ante Lutherum.

Anno 1622. æt: 36. curr: *Dicam Pontificiis de Crimine Impietatis scriptam. Meditationes in Evangelia Festorum. Conciones Germanicas ex Psalmo primo Davidico.*

Anno 1623. æt: 37. curr: *Disputationem de Papisticis Æquivocationibus, & Partem Tertiam Philosophiæ Sobriæ.*

Anno 1624. æt: 38. curr: *Disputationem de Attributis Fidei. Conciones Germanicas super textu Lectionis in festivitate Michælina, ex cap. 12. Apocalypseos. Disputationem de Ecclesia errante. Admonitionem fidelem de Papistica Religione fugienda, nomine Collegii scriptam. Disputationem de DEO in Carne manifestato. Conciones Germanicas super Psalmo 19. Orationem de Vero Christiano.*

Anno 1625. æt: 39. curr: *Concionem funebrem ex Psal. 16., habitam Viro Magnifico & Amplissimo, Benedicto Carpzovio, J. U. D. & Cancellario quondam Cholditii Saxonico. Aliam, ex Capite 30. Esaia,*

Viri

Viri Amplissimi & Prudentissimi Dn. Jobannis Lentzii,
 Consulis nostratis Uxori honestissima habitam. *Concio-
 nes Germanicas Paschales ex 1. Cor. 5. Opusculum
 de Indulgentiis. Disputationem de nomine Catholica
 Ecclesia. Deutsche Warnung vor dem Pabstthumb /
 nomine Collegii. Weihenacht Predigten ex textu
 ad Tit. 2.*

Anno 1626, æt: 40: heu emortuali & ultimo,
*Opusculum alterum de Purgatorio. Dicam ob crimen Ca-
 lumnia Papistis scriptam. Pfingst Predigten. Primam
 victoriam Admonitionis Fidelis, de Plebano quodam
 Polono, qui Admonitionem fidelem de Papatu fu-
 giendo, scripto infelicissimo inceserat. Qua cum
 Victoria prima, optimo omine finem fecit; Alteram
 in Vita cœlesti non solenniter, sed æternum cele-
 braturus.*

Prætereo Disputationes penè innumeras per
 tot annos privatim aut extraordinariè habitas, ut &
 Gymnasium Concionatorium domi suæ institutum;
 quibus omnibus maximo cum commodo suo inter-
 fuerunt, qui interfuerunt.

Proposuerat sibi etiam, paulò antè mortem,
Practicum (uri vocare animum fuisse accipimus) *Col-
 legium*, quo disputaturus fuerat de tollendis vel sal-
 tem corrigendis iis, quæ in Ecclesiastico partim sta-
 tu, partim in Politico, secus quàm debebant, nunc
 fiunt. Sed obitu præventus, Operam hanc deli-
 neari cœptam elaborare & absolvere non potuit.

Tam

Tam multa, tamq; utilia, tam Juvenis, & senilem ætatem nondum ingressus, cum laude sui, & emolumento Ecclesiæ, in Dei gloriam, bono publico communicavit: quæ Posteritas, si qua futura est, gratissimo animo agnoscet & deprædicabit. Usque adeo in officiis suis non fuit otiosus, aut *κωφὸς πρῶτος* representator, sed negotiosus maximè; ratus, non posse divinam maledictionem effugere eos, qui opus Domini negligenter aut fraudulenter faciunt.

Interea Honoribus, novisq; Officiis, occasione ferente, subinde aliis atqve aliis fuit auctus. Anno 1624. ætatis 38. 3. Martii, *Consistorii nostratis Ecclesiastici Assessor*, Electorali autoritate factus est. Anno 1625. ætatis 39. mense Septembri, in *Visitatione Scholarum trium Provincialium*, Collega mihi adjunctus fuit, intra hosce 23. annos, ex hac Academia quintus. Taceo officium *Decanatus Theologici*, quod septies administravit: Taceo *Rectorum Academicum*, quem jam tertium gessit; in quo etiam, non sine omine, quod Deus avertat, obiit. Taceo etiam Exteros Juvenes, ob vitæ honestatem, morumq; sanctitatem, & doctrinæ soliditatem, fidei & Inspectioni eius commissos. Ex quibus vel primos nomino eos, qui Viri quondam Spectatissimi & Integerrimi ANDRÆ BEHAMI, Mercatoris primum Augustani postea Ulmenis, sumptibus Testamentariis munificentissimis, olim Tubingæ, post Jenæ, tandemqve proximis annis hic alti & sustentati fuerant.

In quibus commissis Officiis & Expeditionibus

omni-

omnibus, ut & in Consultationibus Academicis atq; Facultatis, singularem suam industriam, prudentiam & dexteritatem semper probavit. Imprimis autem in omni vita sua Pietatem, quam Virtutum aliarum omnium felicitatisq; humanæ fontem agnoscebat, sedulo coluit; quæ cum ex omnibus aliis vitæ actionibus, tum vel maximè inde eluxit, quòd peculiarem pro suo sibi usu Precum libellum concinnavit. Neque enim, ut programma quoque Magnifici Dn. Pro-Rectoris, in funere eius affixum testatur, aut Festum unquam advenit solennius, aut Natalis, aliusve memorabilis sibi dies rediit, quem nõ solenni precatio- nis forma sanctificaret: ut *de Preparatione ad Pascha, Preca- tione Pentecostali, & Lacrimis ob peccatorum sensum,* nõ dicam: quas tres Meditationes *Argentinae* habuit anno 1609. Nihil unquam privatim publicè vel coepit operis, vel deposuit etiã, quin preces ad Deum funderet, sive ut felices successus impetraret, sive ut pro impetratis gratias ageret. Neq; enim quicquam aut suscipi rectè, aut finiri feliciter, sine Numinis ope, rectè existimabat: quandoquidem πάντες θεῶν χάρις- σ' ἀνθρώποι: quod etiam Ethnicus ille Pisistratus Ho- mericus, licet in paganismo suo, haud ignoravit.

Quod si singulatim eius actus omnes enumera- re aut exponere vellem; nec Mensis quidem mihi sufficeret, nedum dies, multò minùs hoc sesquihor- rium. Ne tamen siccis planè pedibus omnes præter- eam, generalissimè de illis agam, Pictores imitatus, qui quando ingentem turbam hominum, quoad sin- gula Individua distinctim repræsentare non possunt;

anteriores personas, utcunqve integras; posteriores,
 tantum Caputum & Pileorum cacuminibus osten-
 dunt, & spectanti æstimandos relinquunt. Paucif-
 simis itaqve omnia dicam: Fuit D. MEISNERUS
 noster, in omni vita sua, erga Deum, Parentes, Præ-
 ceptores, & Superiores quosvis, *pius*; in studiis, *indu-*
strius; in officiis, *sedulus*; in moribus, *cultus* & *bone-*
stus; in Honoribus, *modestus*; in Theologicis Θεοδίδα-
 κλος; in Concionibus, sive consolaretur, sive argue-
 ret, καρδιοπλήκτης, & corda Auditorum admodum movens;
 In Philosophicis, *excultus*; in Lingvis, *expolitus*; in
 stilo soluto, *doctus* & *elegans*; in Poësi, *argutus*; in Dis-
 putando, *acutus*; in Docendo, *methodicus*, *fidelis*, &
perspicuus; in Consiliis, *gravis*, *prudens*, & *maturus*; in
 expediendis, *promptus*, & *dexter*; erga Uxorem & Li-
 beros, ευσταγος; erga Collegas, *æqvabilis*; erga paupe-
 res, *beneficus*; in conversatione erga quosvis, *mansue-*
tus, *comis*, *mitis*, *humanus*, *suavis*, *facilis*; in vita, *castus*
 & *sobrius*; in amicitiiis, *sincerus*; Offensoribus, *placabi-*
lis, & *injuriarum minime tenax*; Adversariis in doctri-
 na Ecclesiæ, *acer*; sub cruce, & in adversis, *patiens*; in
 secundis, *moderatus*; uno verbo, τελεγιωνος undiqvaz.
 Neqve tamen volo planè ἀναμάτητον, aut tantum non
 Angelum venditare: sed quia humanitatis memor, aliis
 facilè ignovit: ideò ipsi quoque, si quid fortè, non ex
 proposito quod ab eo abfuit, sed per imbecillitatem
 humanam, cui omnes nos, quotquot sumus, quicun-
 que sumus, quanticumque sumus, obnoxii sumus, fuis-
 set lapsus, humaniter ignoscere, æqvum Boni quique
 censebunt. Ita enim sibi MEISNERUS proposuerat,

ut

ut erga quosvis affectum mitem & placabilem exerceret. Idq; quasi admonitionis quotidianæ instar, Symbolo illo suo, quod multorum Albis inscripsit, *BEATI MITES*, ob oculos positum voluit, literis initialibus B. M., nomini suo BALTHASAR MEISNERUS, accommodatis, quasi hoc propriè ad se pertineret. Crudeles itaque essemus, si non simili affectu eum prosequeremur.

Talis autem tantusq; quum fuerit MEISNERUS noster: æquè tamen atq; alii homines omnes, humanis, hoc est, mortalibus legibus subjectus fuit: atque ita ex Parentibus mortalibus, natus mortalis, mortem evitare non potuit: imò & ipse humanitatis & mortalitatis suæ memor, jamdudum sese ad mortem quandocunqve venturam præparavit. Quumq; prioribus diebus Decembris proximè elapsi, febrili ardore tentari cœpisset, & corpusculum ipsius, quod aliàs naturâ non ita validum aut robustum erat, paroxysmis aliquot nō parum debilitatum fuisset, & symptomata alia, Dolor pectoris, Cardialgia, cum Vomitionibus, Insomniæ diuturniores, cibi ἀνοξεία, & lipothymia, per aliquot dies accessissent, morbumq; aggravassent: factum est, ut frustra tentatâ, licet sedulo debitisq; curis adhibita ope Medica, nocte eâ, quæ 30.^{ma} Decembris antecedebat, mediâ circiter, inter preces & suspiria, Christo Redemptori Animam traderet, Corpus autē Terræ mandandum suis relinqueret. Quò violentiùs autem, durante morbo, Corporis vires prosternebantur; eò fortiùs & Fides, & Patientia, & Spiritus alacris invaluere. Testes esse

possumus *αὐτόπαι*, qui decumbenti aliquoties astitimus, nonnulli & morienti. Testis esse potest Sacrosanctæ Coenæ Dominicæ desideratissima fruitio. Testis quoque esse potest Confessio ipsius coram Ministro Verbi, Reverendo atque Optimo Viro *Dn. M. Michaële Blumio*, meritissimo hactenus Diacono nostrate, nunc, quod ei gratulamur, Superintendente Belticensi Designato, præsentibus aliis edita, cuius in Concione Funebri mentio facta fuit. Ac licet Uxoris *ὁμοφροσύνης* ideoque dilectissimæ, quam se gravidam relinquere sciebat, Liberorumque optimæ indolis, adhuc admodum parvulorum, & paternæ curæ egenorum, causa, Vitam longiorem à Deo, si benignæ Ipsius voluntati placuisset, ardentè petierit: Sentiens tamen, se divinitus nuncium mortis accepisse; Voluntatem suam Divinæ patientissimè humillimeque subiecit, Viduæque & Liberis, pro Se, Deum Judicem & Patrem substituit: & Filiis imprimis de bonæ educatione sollicitè prospexit: atque ita DEO ex hac miseriarum valle evocanti paruit, & in alteram Vitam, ad CHRISTUM Redemptorem ac Dominum suum evolavit, eo quo dixi tempore, quum quidem annum ætatis quadragesimum nondum plenè, sed Mense minùs exegisset. Cuius exuvias, in Templo Arcis, quod sua voce doctrinaque sæpissimè animavit, exanimes, die 2. Januarii huius anni, cum honore, & spe lætæ resurrectionis ad Vitam æternam recondidimus: quum quidem Rectoratu Academico tertium, ut dixi, fungeretur. Sicut autem à primo anno notitiæ, Magnus ille Theologus olim Giessensis, post Marpurgensis, *D. Bal-*

thasar



Balthasar Mentzerus, nostrum *D. Balthasarem Meisnerum* impensè amavit, adeò quidem ut ab eo divelli noluerit, & tam arctè nectum habuit, ut ipse facilè *Meisnerus*, *Meisnerus* facilè *Mentzerus* fieri posset: ita etiam in morte *Mentzerus* suum *Meisnerum* deserere noluit, sed octiduo post, (intra quod tempus nuncia Wittebergâ Marpurgum, aut Marpurgo Wittebergam perferri possunt,) hoc est, 6. Januarii huius anni, quasi certior de MEISNERI morte factus, eum beatè subsequutus est; ut, quandoquidem hîc eius conversatione gaudere ipsi non licuit, illic eadem æternum gaudeat & fruatur, coram Throno Agni ab initio Mundi occisi, in Concilio omnium Beatorum Angelorum & Hominum.

Quòd autem Rectoratu Academico tertium fungens, noster MEISNERUS mortuus est; non caret opinor omine. Utinam absit malum. Nescio enim, quo fato fiat, ut nostra hæc Academia Wittebergensis, toties Capite suo plectatur. Sanè Soror atq; Vicina nostra *Lipsiensis Academia*, hoc hæctenus jam ultra duo secula, velut privilegio gaudet, (utq; diu gaudeat, volumus,) quòd Rectorem Academicum humanum extulerit nullum: imò, joco an seriò, tantum non antidotum Mortis ibi habetur, *Rectorem esse*. Nostram hanc Academiam, nescio quæ minimè parcens Parca toties infestet. Statim in primordio Academiae huius, anno decimo affecto, Rector serie vigesimus, UDALRICUS ERBAR, Artium & Medicinæ D. anno 1512. d. 3. Octobr. à grassatore quodam in via publica vesperi à cœna domum repetens, nefariè cæsus

fuit, & ex eo ictu XI. eiusdem Octobr. expiravit, cuius monumentum in æde Mariana duobus sceptris insigne, adhuc quotidie conspicimus. Omne profectò infaustissimo, de quo nunc non est dicendi locus. Non satis hoc fuit, primordia huius Academiae ita funestata fuisse: rursus anno octavo ante primum seculam finitum, hoc est 1594. Vir clarissimus *M. Valentinus Otto*, Mathematicum Professor solertissimus, Rector noster, ante finem primi seculi decimus nonus, morbo extinctus, funestationem hanc nobis renovavit. Quæ duo exempla primum Academiae nostræ seculum nobis reliquit. Sed quid de altero jam currente seculo, quod 18. Octobris anno 1602. incepit, censetis? Vix quarta pars huius secundi seculi abiit, & ecce jam tertium Rectorem sepelivimus. Anno enim 1616. mense Octobri, vix post delatos fasces Excellentiss. Theologus *Leonhartus Hutterus*, Rector, morte sua primus hoc seculum secundum funestum fecit. Decennio post, h. e. anno proximo 1626. currente, bis (horresco) bis Caput Academicum amissimus intra dodrantem anni, Rectores nempe duos: Medicum Solertissimum *D. Wolfgangum Schallerum*, Mense Martio: & Theologum præclarissimum *MEISNERUM nostrum*, Mense Decembri: utrumq; Virum Rei Literariæ utilissimum; utrumq; in optimo ætatis vigore agentem: & eo quidem tempore, quo Academia, imò & tota Ecclesia Christi, domi forisq; adversitatibus quàm plurimis impetitur. Quid hinc nobis colligendum sit, malo unumquemq; ipsum cogitare, imprimis eos quibus maximè convenit. Ego

nunc malè ominari nolo. Sed interim & hoc nolim,
ut omnia in univèrsum omina planè susq; deq; ha-
beantur. Deus omnia in meliora verfat.

Ita autem non sine insigni omine, tu Beatissime D. MEIS-
NERE, cui nunc præter ultimum VALE dicere nihil possu-
mus, fatis nimium, ut putamus, properantibus, nobis ere-
ptus es. Tu cœlestem patriam, in qua *πολιτεία* nostrum est,
lætus repetisti; nos in orbe hoc tristi & maligno, inter tot
hostiam Ecclesiæ insidias, machinationes, persecutiones, a-
liasq; calamitates publicas, anxios reliquisti. Tu qui Mathu-
salæos annos vivere dignissimus eras, heu nimis præpropera
morte es abreptus. Quæ si Te decrepitem sustulisset, & diu-
tarniorem tui usuram nobis reliquisset; mitius fortè dolere-
mus, nec tanto cum luctu nunc Academici Patres Collegam
optimum, adeoq; totum Academicum Corpus, Caput charis-
simum desideraret; Ecclesia Antistitem fidelissimum amis-
sum ingemisceret; Mater Filium unicum, Senii sui speratum
baculum; Vidua Maritum conjunctissimum; Liberi Patrem
εὐσπορότατον deflerent. Jam verò quum adeo festinantibus,
ut humano iudicio videtur, fatis, in optimo ætatis vigore,
anno videlicet XL. ætatis [qua ipsa etiam ætate, annis abhinc
tribus & viginti, Præceptorem tuum charissimum, *Dn. Davi-*
dem Rungium, Theologum Eximium, haud absimili mortis
genere piè defunctum, eodem quo Te nunc, officii genere
prosecutus fui] & eo ipso quidem anno quadragesimo tan-
tum affecto, nondum autem planè confecto, ablatu sis; etsi
tecum quidem præclarè est actum beateq; : nobis tamen pu-
blicus inde privatusq; dolor haud vulgaris est exortus. Habet
quod doleat, mœreat atque plangat Academia, habet Eccle-
sia, habent Tempia, habet Mater, habet Vidua, habent Libe-
ri, habent Collegæ, habent Discipuli, habent Inquilini, habent
Exteri, habent Boni ubicunq; quique, qui verbis Elisæi de-
votissimo cum desiderio clamitant, *Mi Pater, Mi Pater, Currus*

70 6023

& Auriga Israël. O infelicem nobis exitum præteriti anni. O funestissimum initium præsentis: quorum utrumq; MEISNERI nostri Mors & Funus, mœstissimum fecit. Siccine cum jactura tanti Viri, & Capitis Academiae, annum claudimus? Siccine cum eiusdem Sepultura novum inchoamus? Siccine? Sed quid? Ut ut enim mœreamus, lugeamus, & plangamus: nulla tamen ratione Beatum nostrum D. BALTHASAREM MEISNERUM revocabimus: neque ipse, si vel maximè posset, in hanc calamitatum vallem sese denuò demissurus erit; quum iam malis omnibus exemptus, liber à peccatis, ab odio mundi, à persecutionibus, ab infestatione Carnis & Diaboli, in sinu Abrahamæ, solamina cœlestia percipiat, Christi Redemptoris sui unici colloquio & aspectu, ineffabilibus gaudiis perfusus fruatur; & nos ad se potius quemque suo ordine, loco, & tempore, juxta divinam *evdouxian*, tandem beatè transituros expectet.

Ideoqve vulnus à Domino nobis inflictum patienter feramus, eiusqve sanationem ab ipso petamus; peccata nostra, quibus istud promeruimus, agnoscamus & deprecemur; Successorem idoneum, Spiritu donisqve parem, à Deo, qui ipse in Vineam suam operarios extrudere solet, exoremus; Viduæ Liberisqve solatia quisque suo loco faciamus; & imminencia à cervicibus nostris mala, seria pœnitentia & precibus indefessis amoveamus; Ecclesiæ contra omnes hostiles machinationes clancularias & apertas, conservationem ac defensionem flagitemus; nosq; ad beatam ex hac vita calamitissimam emigrationem, sedulo & quotidiè præparemus.

D I X I

1077

3.10




i.
S-
te
i-
s?
&
r-
c,
ò
à
o-
r-
t,
is
o-
e-
l,
t-
te
æ
ia
e-
a-
r-
m
d
p
n
r
d
v
=

ULB Halle 3
002 713 519


Pou zc 6023 QK







VIRI

BA...

THEO...

M. I...

Sumptibu
Typis

RISSI-

RIS

OPHI

fiano

IDT

Bibliop.
BACH.

Z c
6023

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

